

T5

*Silvae V, 4***L'invocazione al Sonno**

Crimine quo merui, iuvenis placidissime divum,
 quove errore miser, donis ut solus egerem,
 Somne, tuis? Tacet omne pecus volucresque feraeque
 et simulant fessos curvata cacumina somnos,
 5 nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror
 aequoris, et terris maria adclinata quiescunt.
 Septima iam rediens Phoebe mihi respicit aeras
 stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque revisunt
 lampades et totiens nostros Tithonia questus
 10 praeterit et gelido spargit miserata flagello.
 Unde ego sufficiam? Non si mihi lumina mille,
 quae sacer alterna tantum statione tenebat
 Argus et haud umquam vigilabat corpore toto.
 At nunc, heu, si aliquis longa sub nocte puellae
 15 brachia nexa tenens ultro te, Somne, repellit,
 inde veni; nec te totas infundere pennas
 luminibus compello meis – hoc turba precatur
 laetior: extremo me tange cacumine virgae,
 sufficit, aut leviter suspenso poplite transi.